



Q. D. B. V.

CAPITA IVRIS LECTA

DE PERSONIS

QVIBVS BENEFICIVM COMPETENTIAE

DENEGANDVM

QVAE

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLIEB

HOMMELIO D.

TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REGVL. IVR. PROF. PVBL.
ET FACVLT. IVRID. VITEMBERG. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORE

DIE XV. AVGVST. A. R. S. MDCCLXXXIII

DISPVTANDI CAUSA

PROPONIT

FRIDERICVS GVILIELMVS DÜRRIVS

THVRINGVS.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

CHRISTIANUS GÖTTLICH
HONNIGSBACH
PROFESSOR
PHYSICAE
MATHEMATICAE
ET ASTRONOMIAE
IN UNIVERSITATE
ALMA MATER
SACRA
SALONICA
PRAEFATIO
AD
LECTURAM
PHYSICAE
MATHEMATICAE
ET ASTRONOMIAE
IN UNIVERSITATE
ALMA MATER
SACRA
SALONICA
ANNO
MDCCCLXXII





I.



uo facilius debitori, qui citra dolum et culpam suam, casu aliquo tristiori, aliena cum suis perdidit, induciae solutionum ad modicum tempus a iudice, prolixiores vero a Principe in Rescripto moratorio conceduntur, nec non ei flebili adiutorio et miserabili auxilio, cessione scilicet bonorum, ne detrudatur in carcerem, succurritur, eo difficilius obaeratus ad id ius singulare, vi cuius non in solidum, sed in id, quantum saluis alimentis potest facere, condemnatur, quod vocamus beneficium COMPETENTIAE, aut DEDUCTIONIS, admittitur, siquidem ad id praesidium non quivis egens debitor et adversa pressus fortuna, sed is tantum, cui hoc vel ex manifesta legis dispositione, vel consuetudine locorum uniuersali, vel particulari concessum est, confugere potest. In tribuendo vero isto iure singulari alios iuris interpretes ultra, quam par est, liberales, alios contra nimis parcos esse, exemplis quibusdam illustrabimus.

II.

Quamuis Vitricus et Nouerca in §. 7. I. de Nupt. Patruus, Auunculus, Amita et Matertera, §. 5. I. eod. Adoptans L. 8. π. de in ius vocand. et Patrinus L. 26. C. de Nupt. parentum nomine comprehendantur, in materia



tamen priuilegiorum et iurium singularium, quibus beneficium deductionis accensendum, recensitas personas iuris parentum proprie sic dictorum haud frui, eo certius credendum, quo clarius iam constat, quod magis fictione iuris, quam natura tales sint, et in exorbitantibus extensua exulet interpretatio. L. 14. π . de Leg. Dissentit IO. FABER. ad §. 38. I. de Act.

III.

E contrario hoc priuilegium omnibus ascendentibus proprie sic dictis legitimis, cuiuscunque sexus et gradus, si a liberis suis et emancipatis conueniuntur, esse concedendum, satis edocet §. 38. I. de Act. L. 16. π . de re iudic. Add. L. 4. §. 2. π . de in ius vocand. Quibus et eos, quorum liberi sunt legitimi, adnumeramus. An vero stuprator seu pater naturalis, cum ex stupro natus ad alimenta praestanda contra eum experitur, ad ius Competentiae prouocare possit, anceps est quaestio. Aienti sententiae ob L. 6. π . de in ius vocand. adstipulatur WERNHER. Part. VII. Obs. 85. n. 85. Sed cum, si de alimentis liberorum agitur, et hi ipsi aequae egent, parentibus quoque legitimis hoc denegetur auxilium, MENCCKEN. Tract. Process. Iur. Com. et Sax. El. ad Tit. XXXIX. §. 41. nec ullus, qui ex delicto suo conuenitur, hoc iure singulari se tueri queat, arg. L. 52. π . de re iudicat. negantem statuimus veriore. Iung. Decis. Saxon. Reg. XXVIII.

IV.



IV.

Liberos ne quidem legitimos, si a parentibus conveniuntur, hoc insigni beneficio recreat, W. A. LAVTERBACH. in *Disp. de beneficio Competentiae* §. 29. BERGER. in *Oec. Iur. Lib. IV. Tit. XXIX. th. 5.* et MENCK. in *Tract. Process. loc. cit. §. 27.* Contrariam vero sententiam ob L. 17. et 30. π . de re iudicat. L. 18. π . solut. matrim. cum VOETIO ad *Pand. Lib. XLII. Tit. I. §. 46.* STRYCK. *Vf. Mod. Lib. XLII. Tit. III. §. 20.* et WERNHER. *Part. VII. Obs. 85. n. 33* sqq. magis comprobendam, et ob defectum vinculi naturalis id privilegium Priuignis, Adoptatis et Susceptis ex baptismo denegandum esse, censemus.

V.

Fratribus atque sororibus non modo germanis, sed et consanguineis et vterinis beneficium Competentiae tam propter propinquitatem, quam obligationem alimentorum in subsidium praestandorum et maxime rationem, ob quam VLPIANVS in L. 63. π . pro Soc. ipsis Sociis hoc dat, concedendum esse, recte demonstrat VINNIVS ad §. 38. I. de Act. HEINECC. in *Pand. Part. VI. §. 244. **.* I. A. HELLFELD in *Disp. de beneficio Compet. ex proprio ac tertii iure* §. 10. et ILL. G. F. KRAVS. in *Disp. de Fundamento beneficii Competentiae fratrum* §. 3 sq. E contrario omnibus fratribus atque sororibus praeter GLOSSAM ad L. 63. π . pro Soc. in primis id denegat W. A. LAVTERBACH. in *cit. Disp. §. 31.* et secundum hanc sententiam *Fac. Iur. Lips.*

6

respondisse, testis est MENCK. cit. loc. §. 27. Quin fratres adoptiui, quibus nec votum reliquorum liberorum adoptantis, nec vinculum naturae fictam illam fraternitatem conciliauit, nec non compriugni ab isto iure singulari sint excludendi, dubio caret.

VI.

Milites, qui stipendia sub armata militia meruerunt, condemnatos eatenus, quatenus facere possunt, tantum soluere, iuris est indubitati, L. 7 et 8. π. de re iudicat. idque ad honeste et caufarie dimissos ob L. 13. §. 2. π. de re milit. et L. 7. π. de castr. pecul. extendit W. A. LAVTERBACH. in cit. Disp. §. 23. et MENCKEN. in Tract. Proc. loc. cit. §. 34. Cum vero haec iuris Competentiae extensio nec ex legibus adductis, nec ex tit. Pand. et Cod. de Veteranis clare probari queat, potius milites priuilegijs suis vt plurimum, quamdiu adhuc militant, tantum gaudeant, et post dimissionem forum militare amittant, L. fin. C. de Veteran. nec iure militari testari, LEYSER. ad π. Spec. CCCLXVI. BERGER. in Oec. Iur. Lib. II. Tit. IV. th. 5. n. 2. nec a tutela suscipienda se excusare, L. 8. π. de Excusat. ORD. SAX. TVTEL. de anno 1782. c. VIII. §. 2. nec ob debita ab incarceratione se liberare possint, ORDONNANZ. SAX. EL. de an. 1752. §. 94. quid quod in nouissimo MANDATO SAX. EL. de an. 1782. *Wegen derer Vorzüge, Vortheile und Befreyungen derer in Kriegsdiensten gestandenen Unterofficiers und Gemeinen* huius beneficii mentio haud fiat, contraria opinio magis

magis est amplectenda. Multo minus ius Deductionis indulgendum est iis, qui tempore belli in hostico deprehenduntur, et exercitui vtilitatem praestant, sed non in numerum sunt relati, et sacramento obligati, si quidem eorum iure militari condita testamenta tum demum, si in hostico decedunt, valent. L. fin. π . de Test. Milit. L. vnic. \S . 1. π . de Bon. poss. ex test. milit.

VII.

Clericos non ordinatos v. c. aedituos et organicos a iure Deductionis arcet I. H. BÖEHMER. in Iur. Eccl. Prot. Lib. III. Tit. XXIII. \S . 3c. sed rectius et eos ad hoc admittit HOMMELIVS in Rhapsod. Iur. Obl. 136. licet negandum non sit, hoc ius ex cap. III. X. de Solut. non esse deducendum, sed magis vsu fori, ne deterioris sint conditionis milites Deo seruietes, quam seculo, fuisse introductum, et adhuc praeterito anno in Rescripto Sax. El. ad Confistor. Vitemb. emisso comprobatur. Remotos vero et officio sacro renunciantes hoc egregio adiutorio plane indignos esse, iam colligitur ex verbis: *sind nicht mehr als geistliche Personen anzusehen* DECISIONIS SAX. REG. XXXV. copiosiusque explanatur in PRAESIDIS Disp. de Privilegiis clericorum in sponte resignantem vel remotum non cadentibus.

VIII.

Quanquam desponsata interdum vxor, et sponsus appelletur maritus, nec non sponsus iure mariti arg. L. 13. \S . 3. π . ad L. Iul. de Adulter. L. 15. \S . 24. π . de Iniur. et sponsa



sponsa vxoris aestimetur L. 4. π. de Fund. dotal. in significato tamen proprio nomen mariti et vxoris non cadere in desponsatum, iam obseruarunt Imperatores LEO et ANTHEM. in L. 5. C. de bonis, quae liber. et VLPPIANVS in L. 1. §. 2. π. pro Dot. Quem admodum coniuges ratione consensus, benedictionis sacerdotalis et consensionis thalami in Germania a sponsis disiunguntur, ita et, in iuribus communibus et singularibus consequendis, maximum inter hos intercedit discrimen. MODESTINVS in L. 20. π. de re iudicat. coniugibus, tanquam sociis coniunctissimis, tribuit ius Competentiae, quod vero denegandum sponsis, nec non iis, qui hactenus in matrimonio putatiuo vixerunt, aut quorum matrimonium non quoad thorum et mensam, sed mediante diuortio est dissolutum.

IX.

Tandem ius Deductionis Patronis, eorumque liberis ac parentibus in L. 17. π. de re iudicat. concessum, ad dominos, qui homines proprios dimiserunt, cum hi non sint veri serui, sed liberi homines, vinculo speciali dominis obstricti, solaque dimissio ab ista obligatione libertatis romanae dationi non exaequetur, male adplicatur. Conf. W. A. LAVTERBACH. cit. Disp. §. 18. MENCKEN. Tract. Process. cit. loc. §. 29.



Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle

004 335 937




3

f
sl.







Q. D. B. V. 16

CAPITA IVRIS LECTA

DE PERSONIS 1783

QVIBVS BENEFICIUM COMPETENTIAE 2

DENEGANDVM

QVAE

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLIEB

HOMMELIO D.

TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REGVL. IVR. PROF. PVBL.
ET FACVLT. IVRID. VITEMBERG. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORE

DIE XV. AVGVST. A. R. S. MDCCLXXXIII

DISPVTANDI CAUSA

PROPONIT

FRIDERICVS GVILIELMVS DÜRRIVS
THVRINGVS.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

